

mox publicent in communi. » Quibus verbis contineri duo substantialia electionis, tenet Glossa ibid. *ŷ. Sanior.* et sequuntur auctores præcitati, aliique communiter. Et quidem scriptura requiritur, ut per eam eo magis constare possit de consensu singulorum, quæ proinde impræsentiarum est de substantia actus: quamvis sufficiat, sive per ipsos scrutatores (quod magis videtur esse de mente textus), sive per publicum notarium vota illa in scriptis redigantur, eo quod textus loquatur indistincte, ut inquit Abbas, loc. cit. n. 9, post Glossam ubi supra. *ŷ. Redacta.* et Fagnanus, n. 53, citans alios. Quomodo autem mox post vota in scriptis redacta eorum publicatio in communi, sive publicatio scrutini fieri debeat, commodius dicitur infra. § 12, n. 285, et 286.

130. *Post publicatum scrutinium, statim collatio votorum est facienda.* — Quæritur V. An, et quomodo post publicatum scrutinium, teneantur scrutatores procedere ad collationem votorum? Resp. I. Certum est, atque unum ex substantialibus electionis, quod scrutatores post publicatum scrutinium statim, atque nullo actu contrario intermedio, nulloque prorsus appellationis obstaculo interjecto, debeant procedere ad faciendam collationem votorum. Ita textus in cit. c. *Quia propter.* h. t. et Glossa ibidem. *ŷ. Sanior.* et Abbas, n. 16; Fagnanus, n. 57, et 58, et alii.

131. *Quid agendum, si scrutatores velint eam differre?* — Et hoc adeo verum est, ut si scrutatores de industria, et in fraudem canonis moram trahere, et collationem votorum, ipsamque electionem communem (de qua § 12, n. 284, et seqq.) differre conentur, ut sic ipsa tanquam non facta incontinente, sed primum post intervallum, declaretur irrita: possit sive electus, sive quicumque alius ex capitulo implorare officium superioris (sive præsidis in capitulo, ut explicat Miranda, tom. II. *Manual prælat.*, cap. XXIII, art. 25, aut ejus, ad quem cæteroquin spectat confirmatio electionis, ut post Joan. Andream, et alios, inquit Abbas; in c. *Publicato.* n. 58, fin. h. t.) qui dictos scrutatores compellat ad faciendam ejusmodi collationem, et electionem, juxta l. c. *Publicato.* 58, h. t. Atque in hoc casu valebit electio, quamvis non fiat incontinente: quia fraus et dolus eorum non debet obesse nominato, ut inquit Glossa, fin. ibid. præsertim post imploratum incontinente officium judicis.

132. *Collatio illa debet esse numeri ad nume-*

rum, zeli ad zelum, et meriti ad meritum. — Resp. II. Collatio illa votorum, post publicatum scrutinium a scrutatoribus facienda non tantum debet esse numeri ad numerum, sed etiam zeli ad zelum, et meriti ad meritum: alioquin electio non valet. Ita communis; et patet ex d. c. *Quia propter.* h. t. ubi in collatione habita statuitur eligendus is, « in quem major et sanior pars capituli consentit: » nam major sanioritas capituli ex collatione zeli ad zelum, et meriti ad meritum, vel maxime dignoscitur. Accedit textus apertus in c. *In Genesi.* 55, et c. *Ecclesia vestra.* 57, h. t. ubi ob non factam collationem zeli ad zelum, et meriti ad meritum, irrita decernitur electio, utpele attentata contra formam concilii generalis jam allegati. Et hoc præcipue procedit, quando in discordia plures sunt electi: alioquin id patitur limitationes concl. seq. afferendas.

133. *Et qua ratione hæc triplex collatio fiat?* — Cæterum « Collatio numeri ad numerum » fit attendendo, quis electorum plura vota, et quidem valida, in sui favorem obtinuerit. « Collatio zeli ad zelum » fit considerando animum seu intentionem eligentium, ex quo videlicet motivo ducantur ad hunc eligendum: puta, an eligant sine carnali amore, nec ad gratiam hominum captandam, neque spe lucri, aut emolumentum cuiuspiam temporalis; sed solum secundum meritum vite eligendorum, et ad majorem Ecclesiæ utilitatem, arg. can. *Si ergo.* 8, q. 1, ac notat Glossa cit. c. *Ecclesia vestra.* 57, *ŷ. Non consenserit.* h. t. Huc etiam juvant auctoritas, dignitas, prudentia, vitæque integritas electorum, quæ verum ipsorum zelum ceteris paribus non parum commendant: quamvis hoc posterius locum non habeat, si vota dentur in schedulis, et non oretenus; cum constare scrutatoribus tunc non possit, quis hunc vel illum elegerit; ac proinde alicubi electores, ad contestandum suum zelum, solent præmittere juramentum de eligendo eo, quem spectatis omnibus digniorem, et Ecclesiæ utiliore esse judicaverint. Tandem « Collatio meriti ad meritum » fit spectando in electis majora ipsorum merita, quando plures sunt electi in discordia. (ADNOTATIO XXXIII.)

134. *In electione unanimi fit sola collatio numeri, zeli et meriti; quomodo?* — Resp. III. Si vero contingat fieri electionem unanimem, ita ut omnes in eundem concordent; tunc cessat collatio numeri ad numerum, zeli ad

zelum, et meriti ad meritum (non enim apparet alius coelectus, cum quo instituatur talis collatio), licet fieri debeat collatio numeri, zeli, et meriti; considerando videlicet tum numerum votorum, et an omnes præsentibus habuerint vocem activam; tum etiam, an elegerint ex zelo bono, et non per preces illicitas, pacta simoniaca, et hujusmodi: simulque, an ipsemet electus polleat meritis sitque idoneus ad talem dignitatem. Ita Abbas in cit. c. *Quia propter.* n. 10, et ibi Barbosa, num. 27, h. t. citans Francisc. Marcum, decis. 924, ante, n. 6, lib. I; Passerinus, cap. XIX, de *Electione.* n. 9; Sylvester, *ŷ. Electio.* II, vers. II, et alii. Idque clare desumitur ex c. *Si quando.* 9, h. t. in 6.

135. *Idem dicendum, si quis a duplo majori parte fuit electus. Contra sic electum nequit opponi, quod votum extenuat; bene tamen quod votum annullat.* — Et hoc ipsum procedit in casu, quo quis a duplo majori parte capituli electus fuit: nam etiam tunc numerus adeo excedens præfertur auctoritati, et præsumitur ibi major zelus; ac proinde sufficit sola collatio numeri, zeli, et meriti. Ita Abbas loc. cit. et alii. Nam allegatum c. *Si quando.* h. t. in 6, expresse loquitur de hoc casu, discernens, quod contra electum a duplo majori parte, vel contra electores ipsius, nihil a reliqua parte possit opponi, quod votum extenuet, objiciendo v. g. quod sit datum ab illitterato, vel existente in minori dignitate, etc. Quamvis bene possit opponi, quod votum penitus annullat, sive ipso jure nullum reddidit, ut puta ostendendo, quod votum fuerit datum a non habente jus eligendi, aut electio celebrata ab excommunicatis, vel in ipsa non sit servata forma substantialis, aut quid simile.

136. *In electionibus regularium fit sola collatio numeri ad numerum; et cur?* — Resp. IV. Insuper in electionibus regularium non alia collatio fieri solet, quam numeri ad numerum. Ita Passerinus, loc. cit. n. 7; Pirhing h. t. n. 184, et alii. Ratio est, quia, cum religiosi omnia sua pro Christo reliquerint, hinc ob perspectam eorum probitatem, vitamque religiosam dubitare non licet, quin ipsi bono zelo, et ex consideratione meritorum ipsius eligendi, processerint ad talem electionem faciendam. Unde si aliunde non constet de indignitate nominati in scrutinio, ea quoad regulares electio valebit, « quæ a majori parte capituli numero (nulla zeli, vel meriti collatione, vel consideratione habita) fuerit

celebrata; » prout de electionibus ministrorum Provincialium Fratrum Minorum, specialiter statuitur in Clem. *Exivi* § *Demum;* de *Verb. signif.*

137. — *Alia quorundam ratio refertur, ac rejicitur.* — Addunt plerique recentiores auctores aliam hujus conclusionis rationem: quia videlicet post concilium Trid. sess. 25, cap. VI, de *Regularibus,* horum electio debet fieri per vota secreta, sicque constare nequit scrutatoribus, quis eorum a saniori parte fuerit electus. Sed hæc ratio de industria tacetur: nam electio regularium, ac præsertim abbatissarum potest etiam fieri oretenus, ac viva voce, ut proinde scrutatores scire valeant, quis huic vel illi votum dederit, ut infra § 14, n. 333, dicitur: sicque hæc ratio generaliter non procedit.

§ VI.

DE ELECTIONE FACIENDA A MAJORI ET SANIORI PARTE CAPITULI, VEL IN CONCURSU POSTULATIONIS.

138. *Major pars capituli, quæ?* — Quæritur I. Quænam censeatur major pars capituli? Resp. I. *Major pars capituli* censetur ea, ubi est major numerus eligentium respectu totius capituli præsentis. Et notanter additur, « respectu totius capituli præsentis; » tum quia absentium, canonice citatorum, non est ratio habenda, cum ipsi sese alienos reddiderint, c. *Cum nobis.* 19, h. t.; tum quia de jure non sufficit habere majora, seu plura vota comparatione alterius minoris partis, text. clar. c. *Ecclesia vestra.* 48, h. t. sed requiruntur majora vota respectu totius capituli; ita ut, si sint duodecim vocales, requirantur saltem septem vota. c. *Cumana.* 50, h. t. et c. *Si cui.* 23, eod. in 6.

139. *Ad hanc sufficit excessus unius medii voti ultra medietatem.* — Sufficit autem quicumque excessus ultra medietatem, etsi foret unius medii voti, v. g. si essent tredecim vocales, septem vota jam sufficerent. Cum enim jura loquantur indistincte, quod valeat electio facta a majori parte capituli, et nulli addant debere esse excessum unius integri voti; ergo sufficit qualiscumque excessus: nam ubi jura non distinguunt, neque nos debemus distinguere. Abbas, c. *Cumana.* n. 9, h. t.; Card. de Luca, tom. I, discurs. I, de *Parochis.* n. 18; Bernardus Sannig. h. t. cap. IV, n. 9; Passerinus, cap.

xxix, de Elect. n. 18, citans alios. Et hinc statuta generalia Fratrum Minorum, cap. viii, § 2, n. 1, provide determinant, quod in electionibus Ordinis majorem partem quilibet excessus facit; ut, si vota novem sint, quinque majorem partem constituent.

140. *Non tamen computantur vota singularia data extra collegium; et cur?* — Solummodo notandum est, quod vota singularia data extra collegium, seu quando vocales statuta die non comparentes, postea primum per actus singulares cuiuspiam adhærent, non numerentur in electionibus, nec istorum habenda sit ratio in ordine ad colligendam majoritatem votorum: quia in actibus capitularibus, sive qui gerendi sunt a pluribus tanquam constituentibus unum, et corpus politicum, vota sunt præstanda collegialiter non singulariter, aut extra capitulum. Card. de Luca, tom. I, de Jure patronat. discurs. 61, n. 22, et de Regularibus, discurs. 53, num. 6.

141. *Electio a minori parte capituli celebrata non potest ratificari per subsequentem consensum aliorum.* — Insuper notandum, quod electio a minori parte capituli celebrata, non solum invalida sit, sed insuper per subsequentem consensum aliorum ratificari non possit; prout habetur c. *Auditis*, 29, h. t.; tum quia « ex post facto nequit convalescere, quod ab initio ipso jure non valebat; » ut loquitur textus ibidem; tum quia electio debet fieri in communi, et sic collegialiter, non autem singulariter; ac proinde consensus particularis quorundam ratificantium, non potest validare electionem nullam, prout argumentatur Abbas, in cit. c. *Auditis*, n. 41.

142. *Sanior pars capituli, quæ?* Resp. II. Illa pars capituli censetur sanior, quæ est justior et majori ratione nititur et auctoritate, juxta Glossam c. in *Genesi*, 55, vers. *Ad zelum*, h. t. Sive, ut alii explicant. « Pars sanior capituli » dicitur, quæ constat viris, dignitate, ætate, ac tempore officii, nec non et prudentia, pietateque magis conspicuis: nam præcellentes in prædictis habent voces ponderosas, ut loquitur Abbas c. *Ecclesia vestra*, 57, n. 41, h. t.

143. *Major pars numero, præsumitur etiam sanior.* — Cæterum in dubio major pars numero, præsumitur etiam sanior, juxta cit. c. *Ecclesia vestra*, 57, h. t. ibi: « Cum ubi major numerus est, zelus melior præsumatur; » cum similibus; et cum communi notat Fa-

gnanus c. *Cum in cunctis*, n. 4. De his, quæ fiunt a major. part. capit. Unde præsumptio militat pro habente plura vota, quæ eo ipso, quod sint plura, etiam saniora esse, atque respectum ad digniorem habuisse censentur nisi constet de opposito.

144. *Sed contra hanc præsumptionem admittitur probatio in contrarium.* — Et notanter hoc additur, tum quia quando per legitimas probationes, aut aliunde constat de contrario, oportet, ut præsumptio cedat veritati, l. *Imperatores*, ff. de *Probation.*; tum quia contra dictam præsumptionem admittitur probatio in contrarium, prout accidit in c. *Ecclesia vestra*, 57, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 4. Quamvis eo fortior sit præfata præsumptio, donec contrarium probetur, quo major est eligentium numerus, magisque ultra medietatem excedens, arg. c. *Dudum*, 22, h. t. ac notat Layman, ibid. n. 3.

145. — *Ad electionem validam requiritur, ut sit facta simul a majori et saniori parte capituli.* — Quæritur II. Utrum ad electionem validam requiratur ut sit facta simul a majori et saniori parte capituli? Resp. affirmative; adeo, ut necesse sit electionem esse factam copulative et a majori, et a saniori parte capituli. Ita communis; atque desumitur ex sæpe cit. c. *Quia propter*, h. t. ibi: « In quem omnes, vel major, et sanior pars capituli consentit. » Nam generale est, quod in universitatibus ecclesiasticis non valeat, nisi quod gestum est simul et a majori, et a saniori parte capituli; ut cap. I. *De his, quæ fiunt a major. part. capit.*, cum concordantiis.

146. *Unde non valet electio celebrata a saniori parte capituli, nisi etiam sit major.* — Hinc, quod electio a saniori parte capituli celebrata non valeat, nisi ea etiam sit major; habetur decisum in c. *Cumana*, 50, h. t. et notat ibidem communis doctorum. Dummodo tamen major pars non elegerit scienter indignum; alioquin enim ipsa pro una vice privata existerent jure eligendi, sicque valida foret electio de digno a saniori, licet minori parte celebrata, etiam ex eodem scrutinio, juxta c. *Congregato*, 53, h. t.

147. *Nec econtra.* — Ulterius, quod ad validitatem electionis non sufficiat, ut quis eligatur a majori parte capituli, nisi ea etiam sit sanior, patet ex d. c. *Ecclesia vestra*, 57, h. t. et notant ibidem doctores passim. Requiritur enim ista duo conjunctim, seu copulative.

148. *Quid juris, quando numerus vel saniori-*

tas multum excedit, vel parum dumtaxat. — Solum adde notabilem distinctionem, quam circa hoc ponit Abbas ad cit. c. *Ecclesia vestra*, n. 13, post Joan. Andream, et inter alios sequitur Layman c. *Si quando*, 9, h. t. in 6. Quia (inquiunt) aut in tali casu numerum multum excedit, simulque electus absolute est idoneus: et tunc præfertur numerus auctoritati, zelo, ac merito, arg. d. c. *Si quando*, h. t. in 6. Aut numerus non multum excedit; et tunc rursus oportet subdistinguere. Vel enim sanioritas, sive auctoritas, zelus ac meritum alterius partis, etiam non multum excedit; et tunc iterum præfertur major numerus, ac de illo modico excessu auctoritatis, et sanioritatis non est curandum: arg. c. *Et si questiones*, 18, de *Simon.* præsertim, ne propter tam modicum excessum recedatur a generali regula, quod gesta per majorem partem capituli valeant, cap. I. *De his, quæ fiunt a major. part. capit.* Vel sanioritas multum excedit: et tunc electio majoris partis non est confirmanda, sed cassanda, eo quod non fuerit facta simul a majori et saniori parte; ut cit. c. *Ecclesia vestra*, § *Nos ergo*, h. t. Nec etiam confirmari debet electio sanioris partis, juxta dicta n. 146, ac tenet communior doctorum, quidquid contradicat Glossa fin. in c. *Ecclesia vestra*. Sed oportet devenire ad novam electionem: cum major pars eligentium non amiserit jus eligendi per id, quod altera pars sit sanior: quia elegit personam de se idoneam et habilem, non autem scienter aliquam indignam.

149. *Electio summi Pontificis debet fieri a duabus partibus cardinalium.* — Quæritur III. An in omni prorsus electione requirantur, et sufficiant vota majora? Resp. I. In electione Summi Pontificis reperitur quid speciale: nam illa non valet, nisi fiat a duabus partibus cardinalium præsentium, c. *Licet*, 6, h. t. Ratio hujus specialitatis ibidem redditur: quia in electionibus inferiorum, « si quod dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri: in Romana vero Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recurrere haberi. » Hæc ibi. Concordat bulla Gregorii XV, *Æterni patris* (ac refertur tom. III. *Bullarii Romani*, constit. 13, dicti Pontificis) in qua etiam § 2, expresse cavetur, quod in duabus tertis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam suffragium sibi ipsi dare possit; quamvis persona electi in numerum cardinalium præsentium computari debeat. Idem

habetur in cæremoniali electionis Summi Pontificis, relato in cit. tom. III. *Bullarii Romani*, et approbato per dictum Pontificem, constit. 19, quæ incipit: *Dece Romanum.* (ADNOTATIO XXXIV.)

150. *Abbatissa, an sit eligenda a duabus partibus monialium?* — Resp. II. Abbatissam quoque eligendam esse a duabus partibus monialium vocalium, docent nonnulli doctores, qui id desumunt ex c. *Indemnitatibus*, § *Sane*, h. t. in 6. Sed oppositum esse verum, atque a Rota coram Duran. 232, n. 3, decisum, refert Barbosa in *Collectaneis ad concilium Trident.*, sess. 25, cap. VII, de *Regular.* n. 6. Idemque veluti certum, atque manifestum tenet Miranda in *Manual. prælat. tract. de Monialibus*, quæst. 7; Emman. Rodericus, tom. II. *Quæst. regular.* q. 55, art. 4, et in casu notabili resolvit Navarrus, consil. 5, de *Election.* n. 4. Ratio est, quia præter alia jura, quibus docetur, quod ad validitatem cujuslibet electionis sufficiat habere majorem partem votorum capituli, in specie etiam valere electionem abbatissæ a majori parte factam, traditur in cit. c. *Indemnitatibus*, § *Si vero ad illam.* Et quod ibidem præmittitur de duabus partibus, procedit ad effectum, ut taliter electa possit confirmari omni appellatione remota: non autem vult, quod ad validitatem talis electionis requirantur vota duplo majora, prout recte notant allegati auctores, ac liquet attentius textum ponderantibus.

151. *De consuetudine valet alicui electio, celebrata per majora vota comparatione partis minoris.* — Resp. III. Insuper in nonnullis Ecclesiis, sive locis, prædictus rigor juris communis, requirentis ad valorem electionis majora vota respectu totius capituli præsentis, non observatur, sed per longævam consuetudinem contrariam ibidem sufficit ad validitatem electionis, habere majora vota comparatione partis minoris. Ita notat Zypæus, in *Analytica juris pontificii*, lib. III, tit. *De his, quæ fiunt a major. part. capit.*, quem refert Engel, h. t., n. 37. Verum, licet consuetudo contra jus, concurrentibus cæteris requisitis, valere possit, nihilominus, eam ipsa consistat in facto, ejus probatio, quæ cæteroquin solet esse difficilis, in facti contingentia incumbit affirmanti.

152. *Alii casus, in quibus valet electio a minori parte capituli celebrata. Remissive.* — Factus est casus ille, quando major pars scienter legit indignum: nam etiam tunc fallit allata

regula, et valida est electio digni facta a parte minori, ut amplius declarabitur infra, n. 251 et 260. Eademque regula quamdam patitur limitationem tunc, quando electio concurret cum postulatione; ita ut una pars capitularium eligat certam personam, altera vero postulet aliam personam: ad cujus clariorem declarationem,

153. *Quot vota sufficiant ad valorem electionis, quando hæc concurret cum postulatione.* — Quæritur IV. Qualis numerus votorum, seu suffragiorum capitularium, sufficiat ad valorem electionis, quando hæc concurret cum postulatione? Resp. I. Si in concursu electionis cum postulatione numerus postulantium est duplo major, ipseque postulatus existit idoneus, tunc rejecta electione admittitur postulatio. Textus est: in c. *Scriptum est*, § *Et si partes*, 40, h. t. juncto Summario, et doctoribus ibidem. Ratio est, quia, licet postulatio innitatur gratiæ, c. *Bonæ memoriæ*, 3, de *Postulat. prælat.*, ac proinde etiam in hoc casu superior possit eam rejicere, si non velit dispensative gratiam facere, ut inquit Abbas, in cit. c. *Scriptum est*, n. 14; nihilominus, cum in duabus partibus potentia capitularis, seu universitatis consistat, arg. l. *Nulli*, et l. *Plane*, ff. *Quod cujusque universit. nomin.*, merito tunc admittitur postulatio personæ cæteroquin idoneæ, rejecta electione, utpote quæ destituta est tali potentia capitulari.

154. *Valet tunc electio a minori parte celebrata, dummodo hæc superet unam tertiam omnium suffragantium. Idque novissime observatum est, in facti contingentia.* — Resp. II. Quod si vero in concursu electionis cum postulatione numerus postulantium non sit duplo major, tunc rejecta postulatione electio ab alia parte, quamvis minori, celebrata valet, et confirmari debet, dummodo hæc pars eligentium superet unam tertiam omnium suffragantium, saltem per unicum votum, simulque electus sit idoneus. Ita Innocentius, et post ipsum Abbas, in d. c. *Scriptum est*, num. 13 et 14, h. t.; ac Barbosa, ibid., n. 1; Hostiensis, in Summa, de *Postulat. prælat.*, num. 13, § fin., et alii; fuitque novissime observatum in electione Coloniensis archiepiscopi 1688, celebrata, in qua, cum serenissimus et reverendissimus Princeps, ac doctissimus Josephus Clemens, e ducibus Bavarie, episcopus Frisingensis, et Ratisbonensis, etc., etc. (obtentio prius eligibilitatis suæ indulto apostolico) ex convenientibus viginti quatuor capitularibus, per novem vota electus fuisset in archie-

piscopum Coloniensem: ejusdem electio per Sedem apostolicam confirmata fuit sub die 20 septembris, dicto anno 1688, haud obstante concursu postulationis, per quam F. episcopus Argentinensis, tredecim votis (nam residua duo vota dispersa erant) ad memoratum archiepiscopatum postulatus fuisset, quæque post non modicam desuper agitatam controversiam per Sedem præfatam fuit repulsa.

155. *Atque probatur ex Scriptum est, h. t.* — Conclusio hæc fundatur in cit. c. *Scriptum est*, 40, h. t., ubi in concursu postulationis cum electione, Pontifex sic procedendum esse decrevit. Primo, ut rejecta electione admittatur postulatio, si postulantium numerus duplo fuerit major (ut puta, si ex triginta capitularibus, viginti postularint, sicque decem solummodo stent pro electione, prout explicat Abbas, ibid., n. 7), dummodo postulatus idoneus existat. Deinde, § *Quod si*, illico statuit oppositum esse observandum, quando postulantium numerus non reperiretur duplo major, sicque eligentes excederent unam tertiam saltem per votum, illis verbis: « Quod si ad faciendum duplo majorem numerum, simul omnes prædicti (*postulantes*) minime sufficerent; sive dignus, sive indignus fuerit postulatus, tu postulatione repulsa, electionem plebani auctoritate nostra confirmes. » Hæc Pontifex.

156. *Alia ratio, cur tunc præferatur electio postulationi. Et solvuntur contraria.* — Nec obstat, c. *Quia propter*, h. t., ubi concilium generale statuit invalidam esse electionem, quæ non est facta a majori et saniori parte capituli: juncto cap. 1, de *his que fiunt a major. part. capit.*, cum concordantiis. Resp. enim ista procedere regulariter, pati tamen limitationem in casu isto speciali, quo electio concurret cum postulatione, simulque ea facta est a majori parte, quam una tertia: quia tunc regula illa non procedit, ut inquit Innocentius, atque desumitur ex allegato textu juris satis aperto. Et ratio specialitatis esse videtur, quam affert Abbas, loc. cit. n. 14, vers. *Secundus casus*; tum quia non datis duabus partibus postulantium, non reperitur ibi potentia capitularis, sed aliquid de ea reperitur ex parte eligentium per vota unam tertiam excedentia; tum quia postulatio est via extraordinaria, et semper circa personam de jure inhabilem, et dispensatione gratiose impertienda indigentem: electio autem est via ordinaria, et per quam Ecclesiæ providetur modo, quo fieri potest meliori, consen-

tiendo videlicet in electum tanquam in sponsum, quia etiam de jure habilis est, nullaque indigens dispensatione ad eam acceptandam. Unde non mirum, quod in tali casu, ob favorem etiam ipsarum Ecclesiarum, ne scilicet diutius maneat viduatæ pastore, jura statuerint, ut præferatur electio ab eligentibus ultra unam saltem tertiam celebrata, dum cæteri infra duas tertias arripuerunt viam extraordinariam postulationis, atque in ea perstiterunt.

157. *Decretalis, Scriptum est, h. t., continet ius commune.* — Neque ulterius obstat doctrina Glossæ, in cit. c. *Scriptum est*, vers. *Confirmes*. Passerini, cap. xxiv, de *Election.*, n. 58, et quorundam aliorum, qui asserunt sæpe citatam decretalem non continere jus commune; sed fuisse speciale provisionem de consensu partium olim factam, eo quod atraque pars tunc juri suo renuntiaverit, et tam electionem, quam postulationem superioris arbitrio submiserit; ut colligitur, (inquiunt) ex verbis ibidem præcedentibus: « Si partes consenserint. » Nam contra est; quia, ut argumentatur Abbas, loc. cit., n. 13, compilatio juris canonici facta fuit « rescatis superfluis, » prout loquitur Pontifex in *proemio ad quinque libros Decretalium*: sed si dictum capitulum non contineret jus commune, atque observandum in aliis similibus casibus, id non verificaretur, quinimo totum hoc capitulum utpote pro illo speciali casu dumtaxat providens, foret superfluum; ergo. Et hinc, subjungit Abbas, doctores sequuntur dictum Innocentii, ut hæc Decretalis contineat jus hodie observandum in similibus casibus.

158. *Explicatur clausula ejus: « Si partes consenserint. »* — Nec urget clausula illa, « Si partes consenserint. » Hæc quippe verba neutiquam probant Glossæ intentionem, sed referuntur solum ad decisionem, seu definitionem causæ, quam Pontifex non absolute, sed solum sub conditione consensus partium demandaverat Maximo notario suo (hoc est, proto-notario) ad quem Decretalis illa dirigebatur: duo quippe eidem Papa injunxerat, unum absolute, ut videlicet diligentissime inquireret de meritis electi, et postulati, atque toto electionis seu postulationis processu; et hæc erat prima pars commissionis: alterum conditionate, ut nempe post acceptam sufficientem de omnibus informationem, ac præsertim, an constaret de mutuo convenisse consensu, quod ad electionem admitterentur septem præpositi, et quidam alii extranei

(nam hoc factum esse, una pars affirmabat, altera negabat), ipsemet ad causæ illius decisionem procederet, sententiamque ferret juxta formam ibidem sibi præscriptam, si tamen partes consenserint, videlicet in ipsum ut judicem, prout ibidem explicat Layman, *In casu*: sive, ut is veluti commissarius, ac judex delegatus Papæ, posset procedere in decisione causæ, ac sententiam definitivam proferre, ut inquit Abbas, ibid. *In casu*. Ad hoc quippe Pontifex requisivit consensum partium: et si hæc nolissent consentire in decisionem causæ a Maximo proto-notario faciendam, hic post peractam inquisitionem, ut supra, debuisset totam causam sufficienter instructam remittere ad Sedem apostolicam, ejusdem judicio postea decidendam; prout in simili contingisse, in c. *Dudum*, 22, h. t., refert ibidem Glossa, *In casu*. Ac per hoc corrui totum fundamentum sententiæ oppositæ.

§ VII.

DE ILLIS, QUI ELIGERE POSSUNT, VEL NON POSSUNT.

159. *Jus eligendi, seu electio prælatorum, pertinet ad capitulum, etc., h. t.* — Quæritur I. Ad quem pertineat electio prælatorum? Resp. I. Jus eligendi, sive electio prælatorum jure communi spectat ad capitulum, collegium, sive communitatem, cujus prælatum est eligendus. Ita Hostiensis, in c. *Cum ecclesia Vulterana*, n. 9, et ibi Abbas, n. 8, et Fagnanus, n. 39, de *Election.*, aliique communiter. Idque patet ex cap. 1, et c. *Cum terra*, 14, h. t., juncto can. ult., 16, q. 7, cum similibus. Quanquam hodie per regulas Cancellariæ, et alias ordinationes, hæc potestas non nihil sit coarctata, et provisio Ecclesiarum Summo Pontifici reservata.

160. *Potest privilegio, aut consuetudine, clericis extraneis acquiri.* — Resp. II. Etsi directe, ac per se primo, jus eligendi prælatum spectato jure communi pertineat ad capitulum, seu communitatem, ut dictum: potest tamen jus eligendi acquiri clericis extraneis tum ex privilegio Papali, tum ex consuetudine legitime præscripta. Ita communis; et desumitur quoad utramque partem, ex c. *Cum dilectus*, 8, de *Consuetud.*, etc., *Cumana*, 50, h. t., ac notat Glossa, hic vers. *Abbatibus*, et vers. *Consuetudine*. Nam, quod Summus Pontifex tale privilegium concedere valeat, extra con-